

Valeria: ut a Notitia Imperii recensentur. Valentinianus senior Ursinum, auctorem schismatis adversus Damasum, in Gallias primum relegaverat: sed post aliquot annos libertatem eidem indulgit quocumque vellet loco consistendi, solis exceptis urbicariis Provinciis, ad quas omnis ei prohibebatur accessus, ne Urbis vicinitate abuteretur ad novas Romae turbas & seditiones concitandas; ut ex Valentiniani duobus rescriptis constat, ad Ampelium urbis Praefectum, & ad Maximum Romae Vicarium: quae suis Annalibus eruditissimus Baronius inseruit ad ann. 372. Certe, si ut Rufinum interpretantur aliqui, suburbicaria Ecclesiae omnem significabant Occidentem ditionem, Valentinianus hoc gemino rescripto severius cum Ursino egisset, quem hac ratione tota Europa exulare iussisset. Quid autem Rufino in mentem venit, dum solus hoc eodem canone sic loquitur: *Et ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat; quisnam potest affigi sensus duplicatae illi disjunctivae voci vel? quamam vero constructio hinc demonstrativis, vel ille, vel hic, nihil enim praecessit ad quod referantur? Cur solus sit Libyam & Pentapolim: cur solus meminit suburbicariarum Ecclesiarum; & quidnam per eas vult significari? Quorsum igitur in his perquirendis, quae sunt velut agri somnia; viri eruditissimi longas pertextunt disputationes; per me quidem licet, si per haec *ἀπόρρητα* investigare student antiqui Romanorum Imperii, quam Rufinus ipse ignorabat, notitiam; sed hac nihil ad Rufinum. Sed si Rufini mentem frustra perquirere satagant, audiant potius testimonium Summi Pontificis Anastasii primi episcopi. *Rufinum scito ita haberi a nostris partibus alienum, ut quid agat, aut ubi sit, nescire cupiamus. Ipse denique videri ubi possit absolute. Audiant pariter Hieronymum apolog. 1. in Rufinum: Ego scripta tua relegens, quamquam interdum non intelligam quid loquaris, & Hieraculum me legere pueni; tamen non doleo, nec me pariter tarditatis: id enim in legendo patior quod tu patieris in scribendo.* Ibidemque Graece simul & Latinae linguae imperitiam objeclat. Argumento fit, ne extra canones Nicenos digrediamur, quod idem ignorans quidam rei sit Chorepiscopus, canon. 8. *Episcopi locum vacantem infulle interpretatur.* Porro istius Niceni canonis verba haec: *ἐκείνῳ τὸ ἐν ἑαυτοῦ ἐπισκοπῆς τὸν οὐκ ἐστὶν ἐπιτοῦ. Οὐκ ἂν ὁμοίως ἐπιτοῦ ἐπιτοῦ ἑαυτοῦ ἐπιτοῦ. Οὐκ ἂν ὁμοίως ἐπιτοῦ ἐπιτοῦ ἑαυτοῦ ἐπιτοῦ.* Quae intelligenda sunt, ut idcirco praeterea illa in Aegyptum, Libyam, & Pentapolim potestas Alexandrino Episcopo competat; quia illud ei jus tribuere solet Romanus Episcopus.*

2. Similiter & in Antiochia, & in aliis Provinciis sua privilegia Ecclesiae serventur. Antiochenus Episcopus celebratur Orientis Patriarcha ab Helleponto ad amnem Tigrim & ultra. Tempore namque Niceni Concilii Provinciae Asiae & Pontica cum suis Metropolitibus, Asiae quidem Epheso, Ponticae autem Caesarea Cappadocum Antiocheno Episcopo subdebantur, a quo postea Graecorum fraude post Chalcedonensem Synodum disjuncta fuerunt, ad novum constituendum Constantinopolis Patriarchatum. In partitione quoque civili Antiochia civitas erat Metropolis & sedes Praefecti Orientis, sicut eam vocat Zosimus historicus lib. 2. & Chrysothomus civis ipse Antiochenus homil. 3. ad pop. Antioch. & Hieronymus advers. error. Joann. Jerosol. Atque haec est apud veteres prima Orientis acceptio. Secunda vero acceptio cum commemoratis regionibus Thraciam pariter cum Mylia (quae postmodum Bulgaria dicta) praetereaque Aegyptum, Libyam, & Pentapolim complectebatur. Atque haec est illa Imperii pars quae Constantio ex Magni Constantini testamento primum obtigit. Deindeque Arcadio Theodosii senioris filio juxta factam a Patre partitionem: atque Orientis dicebatur Imperium. Hanc tamen Imperii Orientalis partitionem non adequabat suis finibus distributio Provincialium Praefecti Orientis praetorio, qualem constituerat Constantinus: aliquot enim Orientalis Imperii Provinciae ad alterius Praefecti jurisdictionem pertinebant, quas refert Zosimus lib. 2. liquidem Macedonia, Thessalia, Graecia, Creta, & circumjacentes insulae, Lemnos, Samothracia, Epirus, Illyricum, etiam si Orientali obtemperarent Imperio, nihilominus ad alium quam Orientis Praefectum pertinebant. Is erat Praefectus Illyrici. Reliqui duo Praefecti qui quaternorum a Constantino constitutum numerum complebant, ad Occidentis Imperium atinebant, erantque Praefectus Italiae, & Praefectus Galliae. Singulis Praefectis diverse suberant Vicariae, quas qui regebant Vicarii appellabantur, a quibus ad ipsos Praefectos provocabatur. Subditae Vicariis regiones vocabantur communi nomine Dioceses,

quarum etiam singulae plures provincias complectebantur. Cujusmodi sub Orientis Praefecto erant Asiae, Pontica, & Diocesis Orientis, quae provincias multiplices Syriae, Phoeniciamque, atque Mesopotamiam suo ambitu concludebat, cujus Vicarius peculiari nomine Comes Orientis dicebatur. Quae Orientis quidem significatio; praedubus aliis paulo ante commemoratis Imperii & Praefecturae Orientalis, multo erat arctior & contractior: quippe quae unius duntaxat erat Vicariae sub Orientis Praefecto, qui quinque Vicariis praeficiebatur, ac Diocesis; scilicet Aegypti, Asiae, Ponticae, Thraciae, & specialis Orientis: ut docet liber Notitiae Imperii, quem eruditissimis commentariis illustravit Pancirolus, & colligitur ex l. 2. & 3. C. de militari veste, lib. 12. & ex l. 1. C. ut nemo ad suum patrocinium suscipiat. Aegypti Diocesis Vicarius peculiari nomine Praefectus Aegypci vocabatur.

3. Similiter Praefecto praetorio urbis Romae subdebantur Diocesis Illyrici Occidentalis; item Africa praetereaque Italia; quae in duas distributa partes geminas quoque Vicarias comprehendebat; unam quidem quae septem provincias complectebatur, Venetiam simul cum Istria, Aemiliam, Liguriam, Flaminiam simul cum Piceno, dicto annonario, Alpes Cottias, Rhetiam primam, & Rhetiam secundam. Qui praesidebat septem his provinciis Vicarius dicebatur non Urbis, sed Italiae Vicarius, qui Mediolani sedem fixam habebat. Reliqua Italia pars decem superioris nominatis provinciis constabat, quas etiam Notitia Imperii dinumerat, quae suburbicaria dicebantur, Campania, Tusciam simul cum Umbria, Picenum suburbicarium dictum, ad discrimen Piceni annonarii; Sicilia, Apulia simul cum Calabria; Bruttii simul cum Lucania, Samnium, Sardinia, Corsica, Valeria. Qui has sub Praefecto praetorio provincias administrabat, non Italiae, sed urbis Romae Vicarius salubatur. Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, scriptis ad Probum Praefectum praetorio Italiae litteris, mandantes ut edictum suum de irritandis privilegiis per obreptionem impetratis, in provinciis illi subjectis observet, Italiam ab Urbicariis sejungunt, & quatuor illi subjectas Vicarias sic exprimunt: *Sinceritas tua idipsum per omnem Italiam, tum etiam per Urbicarias, Africanasque regiones, ac per omne Illyricum, praeterea hujus oraculi auctoritate firmabit.* Illyrici praefectura in duas Dioceses secebat, Macedoniae & Daciae, quibus duo praesidebant Vicarii. Praefecto praetorio Galliarum tres obtemperabant Vicarii, unus in ipsa Gallia, alter in Hispania, tertius in Britannia. Hoc ante nos accurate delibavit Joannes Morinus, Oratorii Domini JESU Sacerdos consummatissime eruditissimus.

4. Hoc eodem Niceno canone norma praescribitur Ecclesiastica, ut in electionibus & deliberationibus pars ea praevaleret, quae plurimum suffragii niteretur: eique recentiores canones conformantur. Licet enim nonnulli canones praesentem majorem & saniorum suffragatorum partem: sanior illa pars non intelligitur comparative ad singulorum merita: quae sane exploratio fomes esset mutuarum contumeliarum, & odiorum incitamentum; sed ad canonica impedimenta: ut si major pars incrementum ex illis fumeret, quos canones a suffragiis excludunt, aut si hunc vellet promovere, cui manifeste canones refragantur. Idque admonet ac docet receptissima glossa in c. ea noster, in verb. majoris & sanioris, de his quae sunt a prael. sine consen. capit. praclareque sancitur c. indemnitas, §. ut autem, de elect. in 6. *Decernimus, non ut zeli ad zelum, nec meriti ad meritum; sed tantum numeri ad numerum fiat collatio.*

AD NICENOS CANONES

VII. VIII. IX. X. & XI.

Can. VII. Quoniam obtinuit consuetudo & antiqua traditio, ut qui est in Aelia Episcopus, honoretur, habeat honoris consequentiam Metropoli propria dignitate servata.

1. Aelia vocatur Jerosolymorum civitas, quia illam obperduellionis crimen a se primum eversam mox instauravit, & instauratam de suo nomine Aeliam dici voluit Aelius Hadrianus Augustus. Etiam si vero civitas illa fuerit Domini Salvatoris praedicatione, miraculis, morte, resurrectione decorata; praetereaque Spiritus sancti in discipulis illapsu commendata: in eaque primum Apostoli fidem Christi praedicarint, primamque ibidem fundarint Ecclesiam, praeterea-

Concilii Niceni I. Canones.

que primus Jacobus Apostolus sedem ibi fixerit Episcopalem, quam proprio martyrio consecravit & illustravit: illa nihilominus Ecclesia, usque adeo insignibus nominibus & titulis incluta, Metropoli Caesarea Palaestinae subjecta, suffraganeaque fuit; tantumque abest ut verum sit, quod scripsit incautus in canone Nicenae Theodorus Balsamon, fuisse in hac oecumenica Synodo Patriarchali dignitate auctam: ut ex adverso illius erga Caesareensem Metropolitanum subjectionem Patres Niceni hoc ipso canone confirmarint. Adeo ut ab Jerosolymitani Episcopi iudicii ad Caesareensem appellationes devolverentur. Cujus rei certam fidem faciunt Hieronymus epistol. 65. & Leo Magnus epistol. 62. quae est ad Maximum Antiochenum. Suprema vero jura & honores Praefectus Jerosolymitani, in solis majoribus Synodis effulgebant. Hinc factum, ut in Antiochena Synodo adversus Paulum Samosatenum, ad quam ex diversis provinciis Episcopi conveniant, inter eos quos recenset Eusebius lib. 7. histor. Eccles. capit. 28. Hymenaeus Jerosolymae Episcopus primus numeretur, & secundus ab eo Theotheus Caesarea Palaestinae. In Chalcedonensi etiam Synodo oecumenica, juxta Episcopum Alexandrinum confestim legitur Jerosolymorum Episcopus, supra omnes Metropolitibus. Quinetiam in isto Niceno Concilio Macarius Jerosolymitanus superior Eusebio Caesariensi confedit. At vero in Synodis Provincialibus Palaestinae Metropolitibus Caesariensis, ut sua Provincia caput, praesidere supra Jerosolymitanum solitus fuit, ut duae ejusdem Provinciae Synodi exploratum reddunt; etenim praesedit in Concilio Caesareae Palaestinae contra Quartadecimanos coacto Theophilus Caesariensis, cui proximus adest Narcissus Jerosolymitanus, ut docet Eusebius lib. 5. histor. Eccles. capit. 15. Simile deinde contigit in Synodo Diopolitana ejusdem Provinciae; in qua Caesariensi cessit Joannes Jerosolymitanus. Concilium Chalcedonense illam demum Ecclesiam in Patriarchalem erexit, eique decem Palaestinae partem, cum aliquot Episcopis subdidit, reclamante licet Pontifice Leone primo. Vide quae de hoc Patriarchatu infra commemorabo, ad canon. 5. Concilii Laterani IV.

2. Can. VIII. De his qui se Catharos, id est puros, quandoque nominant, ad Catholicam autem & Apostolicam Ecclesiam accedunt, sancta magne Synodo visum est, ut impositis eis manibus sic in Clero maneat. Ante omnia autem hoc in scriptis ipsos profiteri convenit, quod adhaerent & sequuntur Catholicae Ecclesiae decreta. Id est, cum dignis communicant, & cum iis, qui in persecutione lapsi sunt, in quibus & tempus constitutum est, & opportunitas praesentia, ut ipsi sequantur Ecclesiae decreta. Ubi ergo omnes sive in vicis, sive in urbibus, ipsi soli inveniantur ordinati, qui inveniantur in Clero, in eodem erunt ordine. Si autem Catholicae Ecclesiae Episcopo vel Presbytero existente accedunt aliqui, clarum est, quod Ecclesia quidem Episcopus dignitatem habeat. Qui autem apud eos est, qui Cathari dicuntur, qui nominatur Episcopus, Presbyteri honorem habeat: nisi utique Episcopo placeat ipsi nominis illius honorem impertiri. Si autem hoc illi non placeat, vel Presbyteri, vel Chorepiscopi locum excogitabit, ut esse omnino in Clero videatur; ne in civitate duo sint Episcopi.

3. Pacis componendae fratrumque disperforum colligendorum studio, de veterum Canonum severitate canon iste remittit, eosque qui se Catharos dicunt, (hi sunt Novatiani) ad Ecclesiae unitatem revertentes, in pristinum restituit Episcopatus, vel Sacerdotis, vel Clericali Ordinis gradum: dum tamen eadem Ecclesiae alius non fuerit provivus Episcopus orthodoxus. Quo eventu, eum, qui ex Novatiani schismate eandem sedem occupaverat, contentum esse jubet Sacerdotis aut Chorepiscopi gradu: Ne (inquit) in una civitate duo sint Episcopi. Hunc designat Canonem Augustinus epistol. 110. sic dicens: *Adhuc in corpore posito beata memoria Patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo: quod Niceno Concilio prohibitum esse nesciebam, nec ille sciebat.* Ceteroqui haec ipsa Nicena Synodus canon. 10. lapsos ita excludit a Clero, ut si quis aliquando lapsus Clero ascriptus fuerit, vel ordinatus, jubeat, eundem, quamprimum lapsus ejus innoverit, deponi. Et antea Synodus Illyberitana can. 51. quemcumque ex quavis haeresi conversum ita excludit a Clero, ut eos etiam, qui fuerant ante haeresim ordinati, deponi precipiat. Cornelius Papa & Martyr in sua ad Fabium Antiochenum epistola, quam refert Eusebius lib. 6. histor. Eccles. cap. 35. ait; se vix dum

idque in gratiam universi populi pro eo supplicantis, admisisse ad laicam communionem unum de tribus Episcopis graviter facti sui poenitentem, qui Novato manum ad Episcopalem consecrationem imposuerat. Et refert Cyprianus epistol. 52. ad Antonianum, ab eodem Papa Cornelio Episcopum olim schismaticum, sed jam poenitentem Trophimum, fuisse tandem ad laicam communionem indulgenter admisum; sed tam effusa benignitatis causam fuisse recolligendorum fratrum necessitatem, quorum plurimi ductore Trophimo ad Ecclesiae unitatem se recipiebant. Idemque Cyprianus epistol. 64. & 68. contendit, non esse recipiendos prolapsos quantumvis poenitentes ad pristinum Ordinis gradum. Testatur Augustinus epistol. 162. ad Episcopos Donat. & in breviculo collat. Melchiamdem Romanum Papam Donatitium Episcopum, qui a schismate discederet, conditionem obtulisse, ac decrevisse, ut ipsis Episcopale ministerium indulgeretur. Et in quibuscumque locis duo essent contrariam partium Episcopi, confirmaretur is, qui prior fuisset ordinatus: alteri vero plebs alia legenda provideretur; idque Melchiamdis decretum collaudat Augustinus, qui idem lib. 2. contra Cresconium, cap. 11. & epistol. 5. refert Africanum Concilium eadem ratione & necessitate adductum pro reductione lapsorum, & Ecclesiastica pace, restituisse Donatitiam Episcopos ad pristinum dignitatis gradum. Idque valde probat: additque sub finem epistol. quintae, restitutionem quandoque factam pristinum Episcopatum in gratiam Ariano-rum ad Ecclesiam revertentium: hoc tamen adjungens, citra gravem & urgentem Ecclesiae utilitatem aut necessitatem, insistendum constanter esse Canonice disciplinae, interdicenti Clericis quibuscumque lapsis reverentiam ad pristinum gradum. Similiter scribit Socrates lib. 3. capit. 7. 8. & 9. Theodoritus lib. 3. cap. 4. & 5. Athanasium quum Alexandriam per Juliani editum revertisset, Synodum convocasse, quae decrevit, ut Ariani Episcopi haeresim ejurantes, praestinas sedes, unde excederant, recuperarent. Ceterum ut ait Bonifacius Papa VIII. regula juris 78. *In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.* Deinde Apostolis ascriptus can. 29. sic ait: *Ne Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus iuste depositus ministerium pristinum resumat.* Et can. 61. *Ne convictus de crimine ad Clerum promoveatur.* Et capit. 62. *Ut lapsi Clerici deponantur, & si poenitentia ducuntur, ne recipiantur, nisi ut laici.*

3. Can. IX. Si quis citra examinationem promotus Presbyteri, vel examinatus sua peccata confessus sunt, eisque que confessis praeter Canonem moti homines manus imposuerunt, eos Canon non admittit. Quod est enim a reprehensione alienum, defendit Ecclesia.

Canon iste docet praemittendum ordinationibus examini. Vide superius dicta ad Nicenum can. 2.

Can. X. Quicumque ex eis, qui lapsi sunt vel poenitentiam, vel scientibus iis qui promoverunt, ordinati sunt, hoc Ecclesiastico canoni non praesudicat, si enim cogit deponantur.

Can. XI. De iis qui sine necessitate, vel sine facultate suarum ablatione, vel sine ullo periculo, vel aliquo hujusmodi transgressi sunt, quod sub Liciniano tyrannide factum est, Synodo visum est, esse humanitate indigni sunt, clementia tamen & bonitate in eos uti. Quicumque ergo germane & vere poenitentia ducuntur, tres annos inter auditores exigent ut fideles: & septem annis prosterentur supplices: duobus autem annis absque oblatione erunt orationum cum populo participes.

Require superius ad Saeculum secundum Dissertationem 8. de publicis praeforum fidelium poenitentis.

AD NICENOS CANONES

XII. XIII. XIV. XV. & XVI.

Elucidationes.

Can. XII. Quicumque vocati per gratiam primum summo ardorem offenderunt, & singula deposuerunt, postea autem ut canes ad vomitum suum reversi sunt, ut nonnulli eriam pecuniam profunderent, & beneficiis militiam assequerentur: hi decem annis prosterentur supplices etiam post triennii auditionis tempus. In his autem omnibus exami-